

sā intravit. Quid ergo? Quā actiōne tenebitur? Utiq; injuriarum, aut de vi acculabitur, si per vim introiit. §. 2. Potest etiam ob attentatam criminaliter puniri extra ordinem arbitrio iudicis: arg. legis. 7. ff. de extraord. criminib. ibi. [item qui directam appellatur, hoc est, qui in aliena cœnacula se dirigitur furandi animo, plus quam fures puniendi sunt (nempe quia hoc iure fures non puniebantur ultimo supplicio) idcirco aut ad tempus in opus dantur publicum, aut fustibus castigantur, aut ad tempus relegantur.]

218. Queritur XVI. An furti deprehensus in alio territorio quam ubi furtum fecit, possit ibi suspendi? §. Si à iudice loci delicti commissi petatur remissio, remittendus est, si quidem Remissiones ibi sunt in usu. Quia vero in Germania & passim alibi Remissiones ab usu recesserunt, ideo DD. concludunt, furem puniri posse, & communi consuetudine puniri in loco ubi deprehensus est. Imò hoc in toto mundo practicitur testatur Paulus le Castro. Et Felianus ait hanc opinionem (quæ est Bartoli) decem milia hominum suspendi fecisse, quod utique est per exaggerationem dictum.

219. Queritur XVII. An rem furto ablatam liceat per publicos ministros perquirere in aedibus alienis. Ratio negandi fundatur in §. 4. Inst. de oblig. quæ ex delicto. ibi. [Sed hæc actiones, scilicet concepti & oblati, & furti prohibiti, necnon furti non exhibiti, in desuetudinem abiierunt.] Et Ratio ulterior est, cum domus sua sit cuique tutissima sedes, & nimis graue accederet, rei familiaris vel paupertatem vel divitias alius pandere. Nihilominus, ex communi DD. si aliqua non contemnenda haberentur indicia suspicandi, interveniente Magistratus auctoritate etiam hodie huiusmodi perquisitio est licita, & hoc propter publicam utilitatem, cui privata est postponenda.

220. Queritur XVIII. An Magistratus possit res furtivas apud furem vel alium reperitas sibi attribuere, iure sisci. §. Negative, & ita constituitur Carolus V. in Ord. Crim. ar. 207. ut domino restituatur. Et sanè est per se satis appetitum, dominum non debere privati re sua sine ulla sua culpa, & non exigente publicâ necessitate. Et ideo nulla lex existit quæ hoc ius sisco tribuat: eubescimus vocem hæc lege, & sine ratione, imò contra rationem aliquid asserere. Hinc tamen

221. Queritur XIX. An dominus, re furtiva sibi restituta, teneatur refundere impensas factas in capturam, toruram & custodiam, executionem? §. Negative per textum expressum in Ord. Crim. Caroli V. ar. 213. ubi dicitur, quod res furtiva in aliqua iurisdictione inventa

absque ulla refusione impensarum & sumptuum vero domino sint restituenda. Et illi duntaxat sumptus excipiuntur, qui in sustentationem pecorum sunt facti. Deinde a. 214. dicitur: quod dominus, qui res furtivas recepit, nemini quidquam refundere teneatur, nec ad agendum, vel accusandum cogi possit, sed Index ex officio inquirere, & rei debito supplicio afficere debeat. Ex quo bene infert Berlichius, quod consequenter idem dicendum sit, quando Index per viam accusationis procedit: quod enim ex officio facere tenetur, id absque ullo alicuius privati admiculo expediri debet. Iure Bavarico P. C. a. 4. habetur, quod si pretium rei ablatae valore adæquet 12. asses, decimus nummus iudici solvatur, si verò 12. asses excedat, nummi 36. Et hæc nobis tum hic, tum loco supra allegato de Furtis dicta sufficiant, omittis quibusdam curiosis questionibus in Iuro non fundatis, sed potius ad Clementiam Iudicis aut Principis spectantibus, v.g. an fur, iustro, laqueo delapsus, sit iterum suspendendus. An occurrere possit, vel metretici, petenti illum in marium, sit donandus, de quibus aliquid infra dicitur.

## Hæreditas expilata.

### SUMMARIUM.

**A**n Expilator Hæreditatis sit Juridice fur. 262.  
Quæ pœnâ talis puniendus sit. 263.

262. **D**E Crimine expilata: hæreditatis expilata, titulus tum in Digestis tum in Codice. Committitur hoc crimen ab eo, qui ex defuncti hæreditate nondum divisa aliquid aufert & furatur.

Queritur I. An qui hoc crimen committit sit proprie & Juridice fur. Neque hæc est inutilis de nomine questio, nam inde pendet prædictæ questio, an talis actiōne furti conveniatur, & pœnâ ordinariâ puniri possit item an talis res cadat in causam furivam, ut usurcapi non possit. Affirmant plures cum Bald. quia in lege 1. §. 1. de effraetorib. dicitur: Expilatores esse atrociores fures, & in lege 10. C. de furtis vocatur furtum improbitum. Negativa tamen est communior, quæ asserit, hos textus esse accipiendos in sensu vulgati & latiore. Strictè enim ad furtum requiritur, ut aliqua persona existat cui res auferatur tanquam possidenti & detinenti, atqui hæreditatem jacentem nemo possidet, nemo detinet, ut suo loco dictum est. ergo &c. Unde obiter adverto, Damhouderum cap. 112. referre

cxviii.

exemplum expilatae hæreditatis, quod tamen erar propriissime dictum furtum, quia fiebat domino adhuc viventi, imò & deprehendenti effraetores illæ, & ideo illi fures fuissent pœnâ ordinariâ furti puniendi. Nunc ergo

263. Queritur II. Quæ pœnâ Expilatores hæreditatis puniendi sunt. §. De hoc ex stare legem 1. ff. h. t. Si quis alienam hæreditatem expilaverit, extra ordinem solet coerceri per accusationem expilatae hæreditatis. adeoque non pœnâ ordinariâ furtum; quod tamen habet suas exceptiones in lege 68. §. seqq. ff. de furtis, quod non invenio ab alijs animadvertum. sic habent illæ leges. [Hæreditatæ rei furtum fieri Julianus negabat, nisi forte pignori dederat defunctus, aut commodaverat, aut in qua ususfructus alienus est. his enim casibus putabat, hæreditarium rerum fieri furtum, & usufructuæræ impediri: indistinctè hæredi quoque actionem furti competere. Ratio autem videtur esse, quia detentio illarum rerum erat apud certam personam, nempe apud Creditorem, commodatarium & Usufructuarium, qui nomine defuncti possidebant, & eo defuncto nomine hæredis, vel hæreditatis tanquam personæ sicæ censentur continuare possessionem.]

Itaque si quis extraneus hæreditatem expilaverit, poterit reile Carpozio puniri cavere, Relegatione, vel etiam fustigatione. Si verò aliquis coheres, aut proximus consanguineus, mitiore pœnâ puniri solet.

## Hæresis.

264. **D**E Crimine Hæresis, ejusque pœnis Iure communi constitutis, dixi, quantum ad intentum meum videbatur opere pretium esse, libro 3. Theol. cap. 10. plura qui volet, adeat A. A. ibi citatos, qui iusta volumina de hac materia scripserunt, & abunde sufficiunt pro illis Regis, in quibus Sacra Tribunalia contra Hæreticam pravitatem sunt erecta.



## Homicidium.

### SUMMARIUM.

**P**lures Q. alibi tractatae indicantur. 265.  
Homicidium est delictum Iudicii Publici. 266.  
Quæ pœnâ constituta in homicidam simplicem destinata, in rixa. 267.  
Quid sit usus est instrumento communiter ad occidendum non adhiberi solito. 268. §. seqq.  
Argumenta Carpozio referuntur. 271. §. seqq.  
Argumenta sententiæ benignioris. 276. §. seqq.  
Quomodo puniendus homicida casualis dando operam rei illicitæ. 278.

An mors secuta ex poculo amatorio, reputetur homicidium dolosum, vel solum culpabile. 279.  
Quomodo puniendus mandans homicidium cum effectu. 280.

Quid sit mandans vulnerationem prohibuit necem & mandatarium occidit. 281.  
Tuto lethaliter vulnerante, & alio insuper penitus occidente, quis eorum teneatur legis Corn. pœnâ. 282.

An eadem pœnâ teneantur præbentes auxilium ad occisionem. 283.

Quomodo puniendus occidens non quidem proditoriè, nec etiam in rixa, sed animo destituito. 284.  
An exasperanda pœnâ homicidii in rixa publica commissi. 285.

Item an exasperanda, si quis plurium homicidiorum reus sit. eod.

Quomodo puniendus homicidium à pluribus commissum, ignorato determinato homicida. 286.

Quid sit quis iam lethaliter vulnerato novo vulnere non lethali acceleret mortem. 287.

Quid sit lethaliter vulneratus postea casu, v.g. naufragio interit, eodem modo periturus, etiam si non esset vulneratus. 288.

Ignorato Auctore homicidii à pluribus commissi quid observandum iudici secundum Carolinam Const. 289.

Quid sit nullius rixantium vulnus sit lethale secundum se, sed alijs conjunctum. 290.

Quid sit solum constet de auctore rixæ, quomodo puniendus. 291.

Quid sit rixæ casualiter exorta omnes clamant Occidite Occidite. 292.

An Iudici liceat simulare morem omnibus rixantium decernere, ut sic delegatio auctor. 293.

Quomodo puniendum homicidium commissum cum errore in persona. 294.

Quomodo puniendum homicidium commissum in ebrietate, sed non casu. 295. §. seq.

Quid sit non constet, fuisse plene ebrium homicidam. 297.

Quomodo puniendum homicidium ex vulnere non lethali per accidens letalem. 298. & seqq.  
 In dubio, an vulnus fuerit lethale, quomodo se gerere debeat iudex. 302. & seqq.  
 An conatus occidendi sine effectu puniatur pena ordinaria. 305.  
 Quomodo puniendi Medici, qui malitiose, vel per improbitatem curando necant. 306.  
 Quomodo puniendus qui excedendo moderamen inculpatae tutelae necat. 307. & 309.  
 Discrimen inter Moderamen defensionis, & Moderamen inculpatae tutelae, & quid ad hoc requiratur. 307. & seqq.  
 Regula distinguendi culpam in excessu moderaminis. 310.  
 An puniendus pena ordinaria, qui servans moderamen defensionis, dolo malo excedit moderamen inculpatae tutelae. 311.  
 Item ille, qui auctor rixae fuit, sed in constituta datus in angustias, ut necessaria fuerit occisio. 312.  
 An sicut provocans, ita & provocatus ad duellum, & illicite comparans, ac occidens, puniendus pena ordinaria. 313.  
 Quomodo puniendus, qui per vindictam occidit illum, a quo ipse per aliam esse irritatus. 314.  
 Item qui aggressorem fugientem insecutus occidit. 315.  
 Item qui post aggressionem declinare, sed male resistere, & occidit. 316.  
 Item qui ex intervallo non magno aggressorem occidit. 317.  
 An sicut propria, ita & proximi defensio sit licita. 318.  
 Ex qua virtute sit obligatio defendendi proximum. 319.  
 An liceat occidere invasorem ad tuenda bona temporalia. 320. & seqq.  
 Cur furem diurnum non liceat occidere, nisi se telo defendat. 323.  
 An onus probandi necessitatem defensionis & inculpatae tutelae incumbat occisori. 324.  
 Quid si reus nesciat modum probandi, an possit jurari a iudice. 325.  
 Quid si prius negaverat homicidium, postea confessus est, an adhuc possit se defendere, probando necessitatem defensionis. 325.  
 An probato in situ hoc ipse praesumatur iusta defensio & inculpata tutela. 326. & seqq.  
 Si reus falso homicidium, praetensam iustam defensionem praesumi possit, quomodo procedendum. 328.  
 Ex honestate transactae vitae quomodo pro reo praesumatur. 329.  
 Quid si nullum praesumptionis fundamentum existeret. 330.

265. **S**ermo hic solum erit de Homicidio simpliciter, non de qualificatis, & speciale nomen habentibus, ut Assassinium (de quo iam supra actum) Parricidium, Latrocinium, Seditio &c. de quibus agetur in ordine. Plures etiam Quaestiones ad Homicidium spectantes, expediuntur. *Idem Jure privati tract. 2. cap. 6. v. g.* an liceat occidere seipsum: quando liceat occidere indirecte innocentem: quando liceat occidere in vasorem per iustam defensionem, & de obligatione fugiendi. quomodo puniendus excedens moderamen inculpatae tutelae: an liceat prevenire: an liceat aliquando occidere pro defensione bonorum fortunae, vel honoris. de Duello. de Restitutione facienda personis ex homicidio laesis. de penis variis homicidarum: si erravit in persona: si praetendat vulnus non fuisse lethale: si solum mandavit vulnerari: si ignoretur, quis ex pluribus rixantibus occidit &c. Hae ibi videri possunt. Nunc ad ea, quae huc referata sunt.

266. **Homicidium est Publici Iudicij delictum, de quo est titulus ff. & Codicis ad Leg. Corn. de Sicariis.** quae lege etiam veneficis damnantur, de quibus suo loco infra.  
 Hac lege non comprehenditur Homicidium casuale, sed illud solum, quod animo occidendi perpetratum est, vel quod secutum est ad aliquem actum, ad quem frequenter mors sequi solet, & hoc periculum fuit praesumum: tale est poeculum amatorum & abortivorum, ex quibus, si mors sequatur, praebentes summo supplicio afficiuntur, ut habetur lege 38. §. ff. de penis. sed de hoc iterum infra.

267. **Quaeritur nunc. I. Quanam pena sit constituta in homicidam simplicem, qui destitutum, & ex animo occidit in rixa.** Quidquid fuerit in antiquo jure Legis Corneliae, quae in Nobili fuit Deportatio, & honoris omnium Confiscatio, hodie illa lex non est in usu, ut post alios tradit Clarus n. 18. Hodie est pena mortis, abique distinctione inter Nobilem & Plebeium, & quidem communiter pena gladii. *Gilhus. n. 59. & Catoli V. ord. Crim. a. 137.* universali ter loquitur. *Quilibet latro aut homicida, nisi legitime excusationibus se tueri possit, mortis poenam promeritus est.* Hac occasione

268. **Gravis est controversia inter DD. an eadem gladij poenam puniendus sit, qui tali instrumento percussit, & mortis causa est, quod ad hominis interfectionem communiter non reputatur idoneum, nec adhiberi solet, & inde merito praesumi possit, quod qui percussit, non habuerit animum occidendi, sed solum dolorem ex percussione inferendi, vel cicatricem faciei infligendi.** Huiusmodi instrumenta sunt; lapis (qui casus nuperim hic Ingolladji inter Studiosos contigit) baculus, fustis, clavis, ligo, quae enumerat Gilhusus.

269. **Prima, & rigida sententia est, quod qui alium gladio percussit, nolens eum occidere, praeter intentionem vero ei vulnus lethale infligit, ex quo mors sequitur, poenam ordinariam aequè puniri debeat, ac si habeat animum occidendi.** Ita praeter ceteris expressius docet Carpovius, qui quidem citat pro se Ant. Gomez to. 3. v. resola. c. 3. n. 17. & 18. Sed revera hic Auctor perplexè loquitur, & videtur solum asserere, quod gladio percussus praesumatur habuisse animum occidendi, nisi ex circumstantiis aliud colligatur. Carpovius vero adeo non requirit animum occidendi, ut etiam si constaret de absentia talis animi, mortis reus esset occidens, praesens ideo, quia debebat advertere, se non posse moderari usum, quin forte evadat in vulnus lethale.

270. **Secunda & benignior sententia, universali ter docet, quod, quando abfuit, vel praesumi potest, abfuisse animum occidendi, non habeat locum poena ordinaria.** quamvis AA. hujus sententiae non faciant speciale mentionem gladii. Ita praeter alios distinctius tradit Harpprecht n. 67. ubi quidem facit mentionem gladii, ex cuius usu vult praesumi animum occidendi, sed non cujuscumque, sed illius, qui ad occidendum accommodatus, ut sunt gladii acuminati ad duellandum, framae, & aequivalentes, unde possit praesumi voluntas & animus occidendi, qui tamen animus non praesumitur ex usu gladiorum vulgarium, ex quorum usu videmus rarissime in rixis sequi homicidium, sed levia vulnera, & à quibus minus periculi imminet, quam à ligone vel fuste, & tamen numerantur inter instrumenta non per se & communiter apta ad occidendum, & ex eas usu volunt praesumendum animum non occidendi. Eadem est mens Gilhusi, & aliorum communior, dum expressum animum occidendi requirit DD. quos quidem sibi adversari fatetur Carpovius.

271. **Carpovius probat suam sententiam. I. Quia percussus gladio animo solum vulnerandi, aequè in dolo est, & quia scit, aut saltem scire debebat, certo & destinato modo vulnus, praesertim gladio, vel simili instrumento ad homicidium perpetrandum apto dari non posse, in affectu negari nequit, quin talis habeat animum occidendi, ut cuius voluntas fertur in percussione, & in omne id, quod ex percussione dolosa immediate contingit.** Ad hoc argumentum forte responderent benignioris sententiae patroni: imprimis illud procedere de instrumento ex se apto ad homicidium perpetrando: quo qui utitur in rixa, praesumitur velle occidere: nisi contrarium probet, aut ex circumstantiis contrarium praesumi possit. Hoc autem quod est, scire debere, quod non sit in

potestate utentis instrumento, ita ictum moderari, ut non infligatur vulnus lethale, arguit quidem culpam, & communiter latam, sed non dolum, cui in praesenti negotio non aequiparatur culpa lata, ut tradunt communiter DD. Quod deinde dicitur, cum qui vult percussorem, velle omne id quod ex tali percussione contingit, verum est, si talis percussio ex natura rei solet esse connexa cum tali effectu, secus, si non est ita connexa, sed praeter communem opinionem hic & nunc connectitur. v. g. qui ex rixantibus vult alteri infligere leve vulnus in capite, & eo dirigit ictum, sed adversarius objicit manum, & ei amputatur manus, nemo diceret, quod qui vult percussorem, voluerit dolo malo amputationem manus, quia haec hic & nunc per accidens connectitur: sic ergo, qui lapide alterum in capite percuteat intendit, si praeter intentionem percussio evadat in tempora, & inde mors sequatur, non diceret volendo percussorem voluisse mortem, quia per accidens hic & nunc conjungitur.

272. **Argumentatur Carpovius II. Dans operam rei illicitae, tenetur de omni, quod sequitur praeter illius intentionem & voluntatem, si nimirum causa sit ordinata & tendat ad subsecutum effectum, ita, quod auctor verifimiliter aut cogitavit, vel cogitare potuit, aut saltem cogitare debebat de eo quod inde facile successurum erat. l. quoniam multa. C. ad leg. Jul. de vi publ. ubi glossa. Respondetur eodem modo, ut paulò ante, nec repeto; sed solum adverte, in his verbis: vel cogitare potuit, aut saltem cogitare debebat: involvi mirabilem Philosophiam, quasi aliquis possit obligari ad aliquid cogitandum, quod tamen cogitare non potuit. Patet etiam, instantiam, quam dat, non esse ad rem, de eo qui incendit unam domum, & deinde etiam vicinam comburantur: hoc enim non fit per accidens, sed per se. Cui opponi potest aliud exemplum, de eo qui explodit bombardam versus rectum stramineum, animo jaculandi columbam, & inde comburitur domus, & homines intus existentes, praeter omnem suam intentionem: utique non puniatur ut homicida & incendiarius, esto ob culpam latam condemnatur ad refusionem damni. Minus verum est, quod ibidem addit Carpovius, ex vulneribus, quae gladio fiunt, ut plurimum mortem sequi. Constat, inter Studiosos & milites rixantes centies vulnerari aliquem, & nec unum ex illis mori. Pari modo non urget, quod in eodem argumento addit, ad puniendam delicta sufficere dolum in genere: atque omnis percussus est in dolo: ergo &c. Nemo est, qui non videat, hoc nimirum probare, nempe etiam de percussione facta instrumento non ex se apto ad occidendum, v. g. baculo, aut fuste,**

fuisse, nam & talis est in dolo in genere. Nec ad rem facit, quod citet Gomez ro. 3. u. 3. n. 14. loquitur enim de eo qui destinatus volebat occidere Petrum, sed errans in persona occidit Paulum. Talis dolus in genere utique sufficit, quia occisio ut sic est voluta. Atqui percussio non est formaliter occisio.

273. Argumentatur III. Ex cap. finali de homicidio in c. [Is qui mandat aliquem verberari licet expressè inhibeat, ne occidatur illatenus, vel membro aliquo mutiletur] irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens mutilet, vel occidat. cum mandando in culpa fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare. Imprimis non dicitur, quod talis sit puniendus pena mortis. Sed quidquid sit de hoc, textus, ut interpretatur cum aliis Gomez loco cit. n. 13. intelligendus est, quando mandans mandat verberare cum ense, vel alio genere armorum apto ad occidendum: secus si mandaret percutere ligno, baculo, vel quolibet alio simili instrumento, quod communiter & verisimiliter non est aptum ad occidendum: nam tunc mandans non tenebitur pena mortis, sed pena arbitraria ex injuria. ita singulariter tenet ibidem Baldus, Salycetus & plerique alii, quamvis Gomez rigidior sit, & velit etiam tunc teneri pena mortis ex aliis suis fundamentis. Ceterum, vide quæ ad hoc argumentum respondi to. 1. de Jure Privat. r. 2. c. 6. n. 676. ubi etiam respondi ad argumentum de poculo amatorio, & dixi cum communi DD. in lege ibi relata contineri exceptionem à regula generali, requirente animum occidendi.

274. Argumentatur IV. Ex articulo 148. Ordinationis Criminalis Carolinæ, ubi aliquam particulam germanicam interpretatur, quasi sensum habeat: qui alium inopinato, & ex improvise occidit: adeoque etiam absque animo occidendi. Sed luce clarius est legenti, quod loquatur articulus de illis, qui ex improvise in rixas deveniunt, & non ex communi consilio aliquem occidendi, de illis ergo qui ex improvise in rixas deveniunt, seu: si inter aliquos casu exoriantur rixæ, in quibus sit homicidium, statuitur, ut si auctor necis determinatus sciatur, gladio sit puniendus, quibus verbis non dicitur, quod gladio puniendus sit, qui occidit absque animo occidendi, ut male interpretatur Carpovius, sed, qui occidit in rixæ casu exorta, nam in casuali rixæ sextentis intervenit animus occidendi, quod nimis notum est. Et hæc sunt fundamenta sententiæ rigidioris, assertentis (ut in terminis asserit Carpovius) ad penam gladii non requiri, ut occidens habeat animum occidendi. legatur n. 36. cum præcedentibus. Deinde prædicta Scabinorum quæ adducit, non sunt

ad rem, quia in illis casibus erat gravissima præsumptio de animo occidendi, quia punctim pugnarunt & vulnerarunt.

275. Pro sententiâ benigniore, requirente aliquo modo animum occidendi, non quidem animum determinatissimum, qualem habent latrones, & assassini, & carnifex, quando gladio utitur aut laqueo, quasi non aliter contentus futurus esset occisor, quam morte, sed saltem talè animum, quo vult tali modo percutere, quo videt per se posse facillè necem inferri, & hanc percussione vult perficere, cuiusmodi fortè sequatur mors, de quo non curat, quia absolute mavult actionem fieri quam non fieri, præviso periculo occidendi: pro hac inquam sententiâ afferuntur sequentia argumenta.

276. Primum sumitur ex regula generali, quod quando agitur de pena mortis, requiritur in reo dolus, cui tamen lata culpa non æquiparatur, ut tradunt communiter DD. & facit ipse Carpovius, arg. legis 7. ff. ad L. Corn. de Sicariis. [In lege Cornelia dolus pro facto accipitur, nec in hac lege culpa lata pro dolo accipitur.] Atqui percussio alium absque animo occidendi, non dicitur dolo occidere, quamvis dicatur dolo percutere, & ratione percussio in dolo esse. Hoc enim non sufficit, ut etiam homicidium dicatur esse dolum: alioquin toties committeretur dolum homicidium, quoties aliquis occideretur ex percussione facta instrumento ex sua natura non ordinato ad occidendum, quod omnes negant. Quæro enim ex Carpovio, cur tale homicidium non sit dolum, si non requiritur animus occidendi? An ideo, quia instrumentum non est ad hoc ordinatum? Atqui hoc non sufficit ad excusandum à dolo. Alioquin non foret homicidium dolum, etiam si animo destinatissimo aliquis tali instrumento occideret, v. g. fuste, vel quali S. Cassianus occisus est à parvulis: ergo inceptitudo naturalis instrumenti non excusat: & ratio est, quia ex instrumenti conditione solum sit præsumptio de animo occidendi: unde si fuste occidens fateretur se percussisse animo occidendi, nihil eum juvaret ineptitudo instrumenti: ergo e contrario si gladio percussio posset ex aliis fundamentis elidere præsumptionem animi occidendi, & probare, se tam paràm habuisse animum occidendi, quam parùm solet habere ille, qui fuste percutit, profectò non minus esset immunis à dolo reputandus. Et sic cadit responsio Carpovii quam n. 52. adhibet argumentum.

277. Secundum argumentum sumitur ex variis legibus, satis clare requirentibus animum occidendi. Leg. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de Sicariis. [Dixit Hadrianus rescriptis, cum, qui hominem

nem occidit, si non occidendi animo hoc admittit, & abelvi posse. Et paulo post. Sed si clavi percussit, aut cucumè in rixæ, quamvis ferro percussit, tamen non occidendi animo, leniendam ejus penam.] & lege 1. C. eod. [Quid si probaverit, non occidendi animo hominem à se percussum esse: remissa homicidii penà, secundum disciplinam militarem proferet.]

Ad hos textus respondet Carpovius, esse intelligendos de homicidio casu fortuito perpetrato, ubi nullus intervenit dolus. Verùm hæc responsio est violenta, si loquatur de casu omnino fortuito, & casuali, ubi omnis culpa abest: nam tale homicidium nullà penam puniendum est: loquatur ergo leges de percussione culpabili, ad quam præter intentionem secuta est mors. Deinde lex Codicis loquitur universaliter, & admittit probationem, quod non adferret animum occidendi, atqui quando sit percussio instrumento non apto, non est opus probatione, sed præsumitur abfuisse animum occidendi, præsertim si quis habuit ad manum instrumentum aptum ad occidendum, sed eo non est usus, sed alio non ita apto: rectè præsumitur non habuisse animum occidendi. Et hæc pro mitiore & communiore sententiâ dici possuntian rectè, decident alii.

278. Quæritur II. Quænam pena sit illius homicidæ, qui dando operam rei illicitæ, casu occidit aliquem: v. g. si putator arborum, aut murarius restitens tectum, non proclamat, ne quis transeat, aut constitutum à Repub. signum non exponat, si jaculetur in loco prohibito &c. Penam esse arbitriam pro gravitate culpæ, & attentis aliis circumstantiis, & quidem hoc clarè habetur in Ord. Crim. Carol: a. 146. ex qua, si tota attentè legatur, planè confirmatur sententiâ communis præcedente quæsto discussa, sed quia articulus nimis longus est, non vacat referre. Itaque cum variis sint culpæ gradus, levissimæ, levis, lata &c. pena culpæ proportionabitur, considerata qualitate personæ, quæ quod est nobilior, etiam illi est quandoque aliquid pena gravior, quam esset personæ viliori, ut alibi notavi. In specie autem solent hujusmodi penæ esse quandoque pecuniariæ, quandoque relegatio ad aliquot annos, quandoque (prout scio in Bavaria praticati) peregrinatio ad locum sacrum, & celebrem, cum obligatione ferendi inde testimonium peractæ penitentia: quandoque perpetua relegatio, aut fustigatio, v. g. si quis absque animo occidendi vulneravit, unde mors secuta est, vel si vulnus secundum se non fuit lethale, per accidens tamen, & aliunde superveniente alteratione & symptomate mors secuta est. In similibus ergo consilere debet Judex peritos, ut jubet Carolina.

279. Dubitatum est, an mors secuta ex

poculo amatorio seu philtro dato, debeat censeri inter homicidia dolosa, an solum culpabilia. Ratio dubitandi est, quia ex una parte abest animus occidendi, quia potius talis dololet de morte personæ ad amorem allecitur. ex alia parte Jura statuant in occisorem penam legis Corneliæ ordinariam. Et esse quidem reipsa potius culpabili quam doloso homicidio adnumerandum, ob rationem allatam, quia tamen est res pessimi exempli, & scandalosa, imò & periculosa, cum ejusmodi pocula conficiantur ex herbis venenatis, unde non est infrequens, ut sequatur vel mors, vel gravis morbus, ideo merito Jura hoc speciale delictum exceperunt à regula, quæ mitius puniuntur, qui præter intentionem caulant alterius mortem ex aliqua culpa. l. 38. §. 5. ff. de pœnis. [Qui abortionis, aut amatorio poculum dant, et si dolo non faciant, intelligit, ut moriatur illa persona cui datur poculum] tamen quia mali exempli res est, humiliores in metallum, honestiores in insulam, amissa parte bonorum relegantur, (intelligit, si mors non sequatur) quod si eò mulier aut homo perierit, summo supplicio afficiuntur. Ceterum, non desunt AA. inter quos Besoldus, qui putant, etiam in hoc delicto penam arbitriam, sed graviozem, habità circumstantiarum ratione, locum habere: nisi quis fortilegis fuerit usus, tunc enim volunt penam debere esse capitalem. Aliud etiam dicendum est de poculo, quod adjuvante conceptionis causâ mulieri datur, de quo est lex 3. §. 2. ff. de pœnis. ibi. [Sed ex Senatûs consilio relegari iusta est, quæ non quidem malo animo, sed malo exemplo medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea que acceptat, decesserit.] Ratio mitius hoc puniendi est, tum quia talis nihil inhonestum intendit, tum quia pocula confortativa virtutis generativæ, non solent confici ex herbis venenatis: quia verò feminas non decet hujusmodi medicamentis operam dare, cum careant requisitâ Medicorum peritiâ, ideo ad eas coercendas merito puniuntur relegatione.

280. Quæritur III. Quæ penâ afficiendus sit, qui mandat homicidium, homicidio secuto, ex vi mandati, alioquin non secuto. Non minus quam Mandatarius qui exequitur, est penâ ordinariâ legis Corneliæ puniendus. l. 15. §. 1. ff. ad L. Corn. de Sicar. Nihil interest, occidat quis, an causam mortis præbeat. Et merito, nam mandans est principalis causa homicidii, & simul est causa delicti alieni, & sic magis reus quam mandatarius. Unde si uspiam alibi, sanè hic locum habere debet Regula Juris 72. de R. J. in c. Quod quis per alium facit, per seipsum fuisse censetur.

281. Dubitatum est, an si quis manda-

vit quidem percussione vel vulnerationem, prohibendo occisionem, sed mandatarius excedit fines mandati, an mandans nihilominus perinde ut mandatarius teneatur. Ad hoc Quæsitum respondi breviter loco cit. n. 676. Nunc addo, AA. dissentientes posse in concordia adduci, si distinguamus inter modos mandandi. Si enim mandetur talis vulneratio in specie, quæ secundum se non est lethalis, & in potestate mandatarii erat fines mandati servare, tunc omnino dicendum est, mandantem non teneri de homicidio. Casum refert Decianus l. 9. c. 36. n. 6. dicens, se aliquem defendisse & liberasse à pœna ordinaria, qui iusserat meretricis faciem signare (vulgo dicimus Strifare) cum uno cultello parvo, ad aptandum pennas parato casum, & tamen ille nescio an dolo vel casu mulierem illam occidit, quo cultellum illum punctum in jugulum impexit. Si verò mandaretur aliqua actio, quæ secundum se est apta inferre vulnus lethale vel non lethale, nec est in potestate morali executoris, ita certò moderari, ut non inferat vulnus lethale, tunc consentiunt reipsa DD. (& bene exprimit Decianus, loco citato) mandantem æquè teneri. v. g. si jubeat petere alterum scopero: vel si jubeat gladio ferire caput valide, sed sine latione cranii: nam in rei veritate est protestatio aliquo modo contraria ipsi mandato, & ipsum homicidium est ipsi satis voluntarium (eo modo quo supra quæsitò i. explicatum est) quatenus prævidens, posse æquè facile evenire vulnus lethale, quam non lethale, vult tamen absolutè fieri illam vulnerationem, quocumque tandem eventu, esto mallet fieri sine homicidio, quia absolute potius vulnus vulnerationem fieri quam non fieri, occisionem autem solum non vult, si quidem moderatio sit in potestate vulnerantis, quæ conditio cum non verificetur, potius arguitur velle occisionem. Quodsi è contrariò mandatum ita conciperetur, & sub hac expressa conditione, si certus sit, se posse vulnerare salvà vità: & mandatarius hac conditione mandatum acceptaret, nec tamen conditionis implendæ haberet potestatem, mandatum totum evanesceret ex defectu conditionis, & ideo mandanti non posset subsequens homicidium dici voluntarium, ac proinde nec pœna ordinari puniri. Quin imò potest aliquando hæc conditio esse, & præsumi tacite fuisse à mandante subintellecta, v. g. si Judex, confisus periculis tortoris, jubeat eum extremè torqueri, salvà tamen vità: quod quidem mandatum potest esse justum: unde si tortor sine per imperitiam sine per malitiam ita torqueat, ut mors sequatur, mors non imputabitur Judici, quia poterat prudenter supponere, in periculis tortoris esse positum moderamen torturæ. Ergo pari modo si quis arti gladiatorie alterius confisus, juberet il-

lum ingredi cum suo adversario, eumque, sed salvà vità, vulnerare, posset ab homicidio subsecuto excusari, eò quòd reverà mortis illi esset involuntaria, quia mallet non vulnerari, quam vulnerari ad mortem. Et hanc mitiorem sententiam tenent plurimi DD. quos refert & sequitur Harpprecht §. 5. *Inst. de pub. Jud. n. 80.* contra æquè multos ab eodem relatos: ubi ad longum, & ultra necessitatem, refert & solvit argumenta contraria, quæ tamen talia sunt, ut in instantiis allatis solvenda quoque sint adversariis, & aliqua nituntur falso principio, dum culpam inconsiderantia confundunt cum dolo. Eandem mitiorem sententiam aliis relatis propugnat Ant. Perez ad l. *Corn. de sicar. n. 20.*

282. Quæritur IV. Si quis Titio lethale vulnus infixit, & alius superveniens denuò vulnerat & occidit, quis eorum teneatur pœna legis Cornelia. R. Si certum est, quòd ex priore vulnerare fuisset mors secuta, uterque tenebitur: si verò incertum, tenebitur solus secundus. Prima pars probatur ex lege 1. *pr. ff. ad l. Aquil.* [igitur si quis servo mortiferi vulnus infixit, eundemque alius ex intervallo ita percussit, ut maturius interficeretur, quam ex priore vulnerare moriturus erat, statuendum est, utrumque eorum lege Aquilia teneri.] Unde inferunt DD. idem de pœna legis Corn. dicendum. Quamvis, ut verum fatear, posset hoc in dubium vocari ob alium textum, quo ad minimum probatur Secunda pars responsionis, & est legis 11. §. 3. *ff. eod.* [Celsus scribit, si alius mortifero vulnere percussit, alius postea exanimaverit, priorem quidem non teneri, quasi occiderit, sed quasi vulneraverit, quia ex alio vulnere periit, posteriore teneri, quia occidit: quod & Marcellus videtur, & est probabilis.] Plura de hoc quæst. 7.

283. Quæritur V. An pœna legis Corneliæ teneatur auxilium præbentes ad homicidium. Et quidem de consilium dante, quo homicida permotus est, statuunt DD. teneri legis Corneliæ pœnà, adeo, ut etiam consilium revocasset, non liberaretur, sicut liberatur mandans revocans mandatum, quia adhuc verum est, alterum à dato consilio moveri, & sic consilium causam esse, quia revocatio nihil operatur: Et hoc colligitur ex lege 15. *ff. de i. jam relata.* Quoad alios auxiliatores distinguunt DD. inter eum qui tantum remotè auxilium præbet, & eum qui proximè, ad eum modum quo supra in auxiliium præbentibus furi declaratum est. Sed cæteris accuratius distinguit Gilhusius à n. 14. Aut enim auxilium præstat ante delictum, ut, si quis homicida arma, equum, & hujusmodi subsidia suppeditavit: aut in ipso actu delicti illi assistit, seu commoditatem præbet, quòd facilis homicidium committeret, v. g. impediendo fugam adversarii. Aut post ipsum delictum, ut si reum

si reum occulter, aut juvet ad fugam &c. Primo casu iterum distinguendum. Aut quis præbet opem ignotanter, & tunc utique non tenetur. Aut scienter, habito prius tractatu vel consentià, & tunc mitius quam principalis puniendus est, pro quo adducit legem *insans. C. ad l. Cor. de sicariis.* Sed ibi nulla talis lex existat: & contrarium resolvit Ant. Gomez de Homicidio n. 48. forte consequentiùs, quia tale auxilium censetur ab omnibus proximum. In secundo casu iterum distinguit Gilhusius. Aut enim auxiliator fert opem per actum factò remotum, & tunc mitius punitur, quia videtur delictum ponendum fuisse etiam absque tali auxilio; quòd videtur colligi posse ex cap. 6. §. qui verò de homicidio. [Qui verò se afferunt animum Regis inflammasse ad odium, unde homicidium fuit secutum, durè, & asperè, sed non ita severe sunt puniendi, nisi forte Regem ipsum ad illud homicidium suis suggestionibus provocassent] Aut fert opem per actum factò proximum, & tunc punitur eadem pœnà, quæ principalis, arg. l. 1. §. 2. *C. de rapto virg.* infra referenda. In tertio casu, quia per tale auxilium non causatur homicidium, extra ordinem punitur auxiliator, ut constat ex supra dictis.

284. Quæritur VI. Quæ pœnà puniendus sit, qui non ex calore iracundiæ in rixa, sed animo deliberato & destinato, occidit non proditoricè & ex insidiis, alterum occidit. Carpozovius fuisse defendit q. 7. talem non nisi ordinari pœnà gladii puniendum esse, quia nulla lex existat, quæ tali jubeat pœnam exasperari. Quia verò huic doctrinæ videtur ob stare art. 130. Ord. Carol. eum probabiliter explicat, esse intelligendū hoc modo. Quòd in illis locis, ubi de consuetudine solent homicidia puniri rotà, ea consuetudo sit restringenda ad homicidium ex proposito & animo præmeditato factum. Textus sic habet. [Secundum consuetudinem aliquorum locorum puniuntur æqualiter & indistinctè latrones & homicida rotà: in quo discrimen observandum, ità ut juxta consuetudinem homicida deliberatus & ex proposito rotà, alius, qui ex ira, nec causam habet excusantem, gladio puniendus sit.] Et hoc observatur jure Bavatico, ut dixi loco cit. n. 678. Ergo, ubi Consuetudo non est, ut rotà puniantur homicidæ, pro illis locis nihil urget Ord. Carolina, etiam si in aliis punctis ibi observanda est. In Saxonia, teste Carpoz. n. 33. solet homicidii per insidias facti, vel ex alia circumstantia aggravante, pœna exasperari, ut capite plexi corpus non fepellatur, sed rotà imponatur; cuiusmodi circumstantia etiam esset, si quis occisi domum ingressus esset, ut eum ibi occideret: si in loco sacro, aut personam Ecclesiasticam.

285. Dubitatum est I. An exasperanda sit pœna homicidii in publica via commissi. Distinguit Carpozovius q. 24. n. 47. Si casu inter coambulantes vel sibi occurrentes in via publica rixa orta est, & homicidium secutum, non est exasperanda pœna, quia non habet speciem vis publicæ, bene tamen si homicida ex industria præstolatus esset in via publica, & tunc capite plexus rotæ imponi potest.

Dubitatum est II. An, & quomodo exasperanda sit pœna, si quis plurimum homicidiorum simplicium reus sit. R. Esse exasperandam arbitrio Judicis, nec tamen est necesse ut exasperatio illa fiat adulatione, nam hæc exasperatio non legitur constituta nisi in qualificatis homicidiis, ut est latrocinium, veneficium, de quibus infra.

286. Quæritur VII. Quomodo puniendum homicidium à pluribus in rixa commissum, sed ignoratur, à quo sit factum homicidium. De hoc egi loco citato, n. 683. ubi reculi doctrinam Julii Clari, & insuper Constitutionem Carolinam allegavi, quæ a. 148. habet, quòd, si aliquot personæ animo deliberato & conjuncto aliquem occidendi sibi invicem assistunt, omnes extremo supplicio afficiendi sunt, etiam si forte non nisi unus in effectu occiderit. Neque reliqui excusantur quasi de solo conatu teneantur, nam quod in tali casu unus facit, omnes fecisse censentur, quia unusquisque omnium nomine egit. Quodsi in rixa exorta conser, quis determinatè occiderit, ille solus pœnà gladii puniendus est, ut ibidem habetur: ut mirum sit, quòd Jo. Harpprecht etiam talem velit exemptum ab ordinaria pœnà, quasi præsumi debeat, non animo occidendi vulnerasse. Cur enim hoc potius præsumatur in rixa inter multos orta, & non etiam in rixa inter duos solos orta? Ulterius eodem articulo habetur, quòd si occisus à pluribus, de quibus determinatè constat, diversa vulnera lethalia accepit, tunc, etiam si non possit constare, ex cuius vulnere speciali occubuerit, nihilominus singulis vulneratores lethaliter pœnà gladii puniendi sunt; ut proinde inefficax sit discursus Menochii lib. 2. *arb. qq. cent. 4. casu. 362. n. 17.* & seq. dum ex eo, quòd homo non nisi semel mori possit, inferit, illum solum occidisse, qui primum vulnus lethale infixit: quia cæteri censentur potius cadaver vulnerasse: ergo si de illo primo vulnerante non constat, nullus erit pœnà ordinari puniendus, ne innocens puniatur: quæ videtur esse nimia subtilitas ad excusandos illos, qui reipsa sufficienter quantum in se est occiderunt, & ideo cum Julio Claro citato sentiant communis Recentiores; quamvis extra Imperium, ubi Carolina non urget, posset Judex tute sequi sententiam benigniorem, quam

quam præter Menochium tenent Harpprecht, Tufchus, Gilhusius, Facinacius. Quorum sanè auctoritas est magni facienda. Quamvis eorum dicuntur ex Menochio relatus, eventur ex l. 11. §. 3. ff. ad L. Aquiliam, supra relato, ubi dicitur primum portius vulnerasse quam occidisse, secundus vero occidisse. Et sanè non est bona conscientia: Primum vulnus fuit lethale: Ergo ex illo defacto mors posita est. Nam potest ex ultimo vulnere mors esse posita, quia unum vulnus est altero magis lethale, hoc est, citius animam separat, & mortem accelerat; non ergo posterior vulnerat cadaver, alioquin illo tempore intermedio non posset talis esse hæres, quod falsum est. Sed fortè Menochius loquitur de alio casu, (ut suspicatur Carpovius) nempe quando quis in momento perit, nec potest constare quisnam primum vulnus lethale infixit ex quo obiit, adeoque dubiam est, an non ceteri cadaver vulneraverint, quo casu, cum non constet de auctore mortis, & vulneris lethalis vivo inflicti, nullus penam ordinariam puniendus erit.

287. Sed quid dicendum, si vulnere lethali inflicto alius addat vulnus, quod secundum se non esset lethale, sed tamen additum priori accelerat mortem? Ad hoc respondet P. Molina, in 3. disp. 33. n. 3. ex Bartolo & Carrer. utrumque esse puniendum penam ordinariam, quia in tali casu secundum vulnus revera evadit lethale. Addit tamen P. Molina, si secundum vulnerans percuteret non credens se interfecit, & ignorans statum jam lethaliter vulnerati, tunc si secundum vulnus secundum se non sit lethale, non esset puniendus penam ordinariam.

288. Idem auctor n. 4. aliud dubium, quod non invenio ab aliis motum, resolvit. Quando aliquis vulnus lethale ab alio accepit, & antequam ex illo obiret, casu fortuito naufragii, ruina domus, aut simili interit, an qui id vulnus injustè intulit, puniendus sit penam ordinariam. Respondet P. Molina, se propendere, puniendum esse penam homicidii ordinariam. Rationem assignat (quæ etiam confirmantur, quæ paulo ante contra Menochium dicta sunt) quoniam æquale delictum est, aliquem vulnerare alium omnino lethaliter, atque illum interficere.

289. Denique, si de homicidio in rixa exerto non constat quis vulnus lethale infixit, jubet Carolina Ordinatio eodem art. consuli Peritos, & inquireri in omnes circumstantias & indicia, & pro rerum conditione penam infligendam arbitrio Judicis, adeoque non ordinariam. Ceterum, si quis eorum esset fortè præ aliis gravatus, posset torturæ & questionibus subijci. v.g. si quis post delictum statim auferret, si unus præ cæ-

teris esset rixosus: si fortè specialiter inimicus occisi: si illius gladius sanguine pollutus deprehenderetur, si quadret præ aliis vulneri: & de similibus Judicis, quæ enumerantur art. 34. Ord. Crim. Deficientibus autem indicis, non debent omnes torturæ subijci, quia hoc nimis durum esset, nec ulli baturum.

290. Ex quibus omnibus colligitur, contra Covarruviam, quod nullus rixantium sit ordinariam penam asciendus, si nullius vulnus secundum se sit lethale, licet simul sumpta mortem attulerint, & unum accessione alterius factum sit lethale: quod tamen limitandum videtur, nisi quis ad hoc ipsum periculum advertens, vulnus prior adderet, talis enim verè esset homicida, & causa vulneris lethalis, quia poneret ultimum complementum, sicut ille esset causa ebrietatis, qui videns ad eam non deesse nisi unum poculum, quod secundum se non sufficeret, cogeret ad illud bibendum.

291. Dubitatum est, an si de occisore certè non constet, sed tamen constet de auctore rixæ, debeat iste puniri penam ordinariam. Affirmant multi, quos refert ad longum Berlichius Concl. 11. n. 56. & sequitur Gilhusius c. 5. Ramesc. 3. n. 178. Sed omnino videtur veritas contrarium, non enim est consequentia certa, quod auctor rixæ sit occisor, si plures rixati sunt. neque etiam, quod homicidium per rixam intenderit, & sic illius defiberata causa fuerit. Satis ergo est, quod præ alijs sit gravatus, ut possit torturæ subijci.

292. Dubitari etiam posset, an si in rixa casualiter exorta omnes clamarent; occidite, occidite; non aliter sint puniendi, quam ut hæcenus dictum est, vel potius ut illi qui ex condictione, & prævio tractatu occiderunt, adeoque omnes penam ordinariam ut dictum quæsto 7. Videtur hoc posterius affirmandum cum Damhoudero & Berlichio. n. 55. quia revera tale homicidium denique processit ex condictione, esto aliud initium habuerit: jam enim omnes suo consensu approbant, & quisvis quod agit, ex ceterorum voluntate agit, adeoque jam omnibus est sufficienter voluntarium.

293. Placet hic referre cautelam, quam nescio quo jure vocet auream Berlichius, nec eadem facile practicandam, (est dicatur eam practicasse Carolus Magnus) ob periculum, ne Judicis sententia fiat ludibrio, est autem hæc cautela: ut, si occisores non apparent, vel indicia nulla sint; vel adsint quidem, torturæ autem subijci, constiteri nolint, tunc Judex omnes omnino qui homicidio reum vulgatio interfecerunt, capi faciat, eosque omnes simulatè ad mortem condemnet, ac intentione, ut sic fortè reus conscientia stimulis, atque moribus convictus, pro ea exoneranda homicidium fateatur, reliqui omnes

liberentur. Placeat hoc consilium cui volent, mihi placere non potest, sed non vacat immorari.

294. Queritur VIII. Quomodo sit puniendum homicidium commissum cum errore in persona, qui casus nuper contigit Ratisbonæ. De hoc egi loco citato. n. 679. & dixi, non obstante tali errore puniendus esse penam ordinariam: quæ sententia hodie inter RR. est communior, ejusque auctores refert ac sequitur Harpprecht n. 239. & Carpov. n. 5. cætera quæ Carpovius in sequentibus tradit, possunt in foro Saxonico locum habere, sed alibi per majora DD. suffragia mitior sententia obtinebit. nempe. 1. Quod non teneatur ordinariam penam, qui volens occidere Paulum quem bene novit, & in ejus persona non errat, sed casu quodam occidit Sejum, v.g. explosit sclopetum versis Paulum, sed ab eo aberrans occidit alium in platea stantem, quem nunquam cogitavit occidere. 2. Qui dum rixatur cum Paulo occidit alium, qui mediaturs intercurrit non advertente rixante. 3. Qui nec errorem in personâ occisi committit, neque aliquem percutiendo ex casu superveniente alium occidit, sed solum dolose rem agit illicitam, & casu quodam accedente aliquem interficit, quamvis neminem occidere cogitavit. v.g. ex peulantiâ gladio transverberat fenestras, & occidit ibi aliquem retro fenestram stantem. In his casibus putat Carpovius Juri Saxonico consentaneum esse, ut talis penam ordinariam plectatur, & Scabinorum præjudicis probat: non credo tamen alibi practicandam.

295. Queritur IX. Quam penam plectendus sit, qui aliquem in ebrietate occidit, & non merè casu, fortè si miles explodit in ebrietate bombardam, alium invadendo ad modum rixantis. In quo puncto certum est, puniri posse penam ordinariam, si per excessum potus non est omnino rationis usu privatus, sed solum ratione cholericæ complexionis concitatur ex potu ad insolitam audaciam, iracundiam, levitatem: hæc enim non impediunt, quominus sufficienter illi sit voluntarium homicidium, nec excusant à dolo. Sicut ex veriore sententia non excusatur, qui ex nimio amoris æstu corivaleam occidit, ut contra Julium Clarum merito tenent alij.

296. Loquendo verò de eo, qui per potum est actu privatus usu rationis, Andreas Guil. lib. 2. obs. 110. à n. 27. distinguit. inter Ebrium, & Ebriosum & ebrium quidem negat esse penam ordinariam puniendum, si non prævidit, se in ebrietate facturum homicidium, nec etiam in hunc finem se inebriavit: Ebriosum verò vult puniendum penam ordinariam, si potuit prævidere, se solere in ebrietate libenter rixari, & hoc non obstante se actu inebriat, non quidem casu, (quia

fortè bibit vinum generosum, cui non est ferendo, sed hoc non prævidit, nec habuit animum se inebriandi) sed deliberatè.

Mihi tamen non videtur sufficere, quod solum prævidet, ex consuetudine sibi nota, se rixas solere excitare in ebrietate: neque enim rixæ sunt communiter cum homicidio connexæ, sed videtur insuper requiri, (prout in terminis requirit Harpprecht n. 287. ut in hunc finem computationem instituerit, ut talis, tamque periculosa rixæ sequatur (quod equidem raro fieri existimo) nam absque hac intentione non censeri potest homicidium dolose commissum.

297. Quod si non constat, an occidens fuerit plene ebrius, & usu rationis privatus, vel potius an se habuerit primo modo, existimo præsumptum se habuisse primo modo, quia præsumptio sit secundum communiter accidentia. Atqui communis qui rixatur, & ad occidendum congregantur, non sunt plene ebrii, sed adhuc tantum sibi sunt præsentis, ut bene recordentur altero die quid egerint: adeoque nisi contrarium præbent, non facile credo fore ob præsentiam ebrietatem absolvendos, & scimus ex parte statuta, ne admittatur excusatio, delictum esse in ebrietate commissum, imò esse hoc ipso gravius puniendum, prout iterum infra dicetur.

298. Queritur X. Quam penam occisor afficiendus sit, quando vulnus quod infixit, esto animo occidendi, revera non fuit lethale per se, sed tamen mors inde secuta est, sive ex superveniente aliquo symptomate pro accidens, sive ex negligentia cura vulneris. Pro resolutione præmittendum est, quodnam vulnus sit lethale vel non lethale dicendum. Doctores post Baldum dicunt, illud vulnus in præsentia materia reputari lethale, quod secundum regulas artis medicæ latus non potest evadere, nisi cum magna difficultate. credo per difficultatem magnam intelligi media valde extraordinaria, quale esset, si non nisi per preciosissima medicamenta, ad quæ adhibenda ne quidem divites ex charitate erga se tenentur adhibere, (ut docent Theologi) curari possent: item si quidem hujusmodi vulnus quodque curatum est modo extraordinario, sed qui raro succedit, & longè verisimilius est non successurum, quam successurum. Brevis idem esse ferunt alij, illud esse lethale, quod plus vergit ad mortem, quam ad mortis evanescionem, ut definit alij relatis Carpovius q. 26. n. 5. Hinc facile è contrario colligitur, quodnam sit vulnus non lethale, nempe de quo moralis spes est, posse per ordinariam media curari, & plerumque curari, nisi per accidens cura impediatur. Hoc posito, ad quæsitum

299. R. Ob hujusmodi vulnus non lethale, vulnerans non tenetur de occiso, sed solum